

hoc tamen dicit ut fallat, tanquam si homini non sibi credenti, dicat latrones in illa via esse, ubi revera eos esse cognovit, ut ille cui dicit per illam viam magis pergat, atque ita in latrones incidat, dum putat falsum esse quod ille dixerit: *Quis ergo istorum mentitur ille qui eligit falsum dicere, ne fallat, an ille qui eligit verum dicere ut fallat? Ille qui falsum dicendo agit, ut verum sequeretur cui dixit, an iste qui verum dicendo egit, ut falsum sequeretur cui dixit?* August. in l. c. varie ad hanc quæstionem respondet, juxta varias exceptiones mendacii: qui horum peccaverit, expresse asserit, at non qui mentitus fuerit: De hoc enim quæritur, si *paginam 7. thesium nostrarum* recto judicii oculo inspiciamus luculenter apparebit illum mentiri: ubi enim cordis & oris ἀσυμφωνία ibi mendacium ut ex Hodom. Spiritus Pap. & Calv. Patroni & Præceptoris mei æviternum suspiciendi l. c. demonstratum: *dicis non adest intentio fallendi, at est per se fallax si non actu tamen potentia vid. p. 2.* Etiam *hic* mendacii reus dici potest, imo magis *iuxta Thomam. 2. 2. q. 110. art. 1.* verba ejus hæc sunt: Magis opponitur veritati in quantum est virtus moralis, quod aliquis dicat verum intendens dicere falsum, quam quod dicat falsum, intendens dicere verum: Quia unum quodque magis judicatur secundum id quod est in eo *formaliter & per se*, quam secundum id quod est in eo *materialiter & per accidens.* Ambo ergo mentiuntur, magis tamen hic, nec nos injurios fore existimamus, cum adhuc dubitari possit, *Annon liceat sine iniuria alterius, dicere MENTIRIS,* de quibus plura DEO Dante in conflictu.

I.

Doctissimo Dn. Respondenti

Comuni verbo fertur, quod nesciat ille
 Regnare in populo, qui simulare nequit.
 At tu, mi Pichler, studiis bene culte tribunal,
 Edoceas, deceat, num simulare, Ducis?

Gratu-